

Hoc ipsum statuit ac defendit Concilium Tridentinum.

Consequens igitur fuerit, Pontificijs, quippe per omnia *πελαγιανίζουσι*, *ἄρουν* istam Articuli nostri iure optimo opponi: *ὅπερ ἔδει δεῖξαι.*

37. Quoad alterum Exceptionis pontificiae membrum, quo strenuè negant, se viribus humanis justificationis meritum adscribere: id vero jam abundè satis, ex ipsorum scriptis est refutatum: ut vel tyronibus notum sit, Protestationem hanc contrariam esse factò.

38. *Ἐκ περιστάσεως* confirmare hoc ipsum placet, ex Catechismo Iesuitico, ubi sex isti constituuntur peccatorum nostrorum expiationis modi: 1. Pœnitentiæ Sacramentum. 2. Elemosynæ. 3. Condonatio offensæ. 4. Conversio errantis fratris. 5. Abundantia sinceræ charitatis. 6. Contriti cordis sacrificium. De Spiritu sancto, de gratia DEI, de fide, de Christi merito, verbum nullum.

39. Tertium Exceptionis Pontificiæ caput tripliciter diluimus: I. Sit sanè, non desint ex grege Pontificio, qui sine gratiâ neminem justificari posse statuunt. At interim & illud constat. hos ipsos gratiam illam, propriorum meritum ac operum assummentis ita circumscribere,